



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De Mortali, & Veniali ex genere suo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

c. 4. aliique passim. Ex genere suo Mortale, vel Veniale est, quod ex objecto, seu considerata materia, circa quam vertitur, grave vel leve quid est, verbi gratia, grave est homicidium, adulterium, &c. Leve est verbum otiosum, mendacium officiosum, impatientia laborum, &c. Mortale per accidens est, quando ex aliquo accidente veniale transit in mortale, ut si verbum otiosum, verbi gratia, sit occasio seu periculum proximum alicujus peccati mortalis. Veniale per accidens est, quando mortale ex aliquo accidente transit in veniale, ut si homicidium fiat ex imperfecta deliberatione. Vnde habetur non statim te posse pronuntiare actum esse culpam mortalem, &c. Veniale, nisi perpendas, an quod ex se est tale, per accidens tale nequaquam sit, id quod enucleatius explicandum breviter suscipio.

§. II. De mortali, & veniali ex genere suo.

1. **R**egula passim obvia ad hæc discernenda est ejusmodi: Illud ex genere suo est mortale, quod charitatem Dei vel proximi, vel sui ipsius graviter lædit: secus erit veniale ex genere suo. Nec dissimilis est ea, quam aliqui afferunt. Illud est mortale quod continet gravem deformitatem contra rectam rationem, illud veniale, quod levem. Ita Sanchez l. c. m. ex Azor. l. lib. 4. cap. 9. q. 8. aliique. Veræ sed insufficientes regulæ: nam hoc ipsum inquiri eequodnam est illud, quod charitatem graviter lædit vel quod gravem continet deformitatem?

2. Quoniam verò difficultè potest id per universalem regulam diffiniri, multa signa ad hoc facientia proponere merito solent Authores. Erit ergo actio ex se graviter charitatem lædens, & propterea culpa mortalis, primò, si in sacris literis Deus ejusmodi actioni comminetur exclusionem à Regno cælorum, ut ad Galatas 5. Fornicatio (inquit Apostolus) Immunditia, Contentiones, Emulationes, Iræ, Dissensiones, Sectæ, Invidia, Homicidia, Ebrietates, Correlationes, & his similia, qui talia agunt, regnum Dei non assequuntur.

Secundò, si Ecclesia declaravit esse peccatum mortale. Tertiò, si viri docti communiter, considerata natura actus suavi, iudicent esse mortale, nec sit ratio in contrarium.

Quartò, si sint peccata contra graves virtutes Theologicas, v. g. Religionem, Iustitiam, &c.

Quintò, si sint contra præcepta Decalogi.

Sextò, si sint contra Ecclesiæ præcepta; ad quod caput revocantur omnia, quæ præcepto humano sub mortali præcipiuntur, quando autem sic præcipiuntur, diximus in opusculo de expedit. sacrif. Missæ l. 3. c. 1. §. 8.

3. Erit verò actio ex se leviter lædens, quando, cum mala sit, sub istis prædictis signis saltem principaliter non comprehenditur. Atque hic vides, cur non raro aliqui Doctores dicant actionem quamvis esse mortalem, negent mordicus alij. Ratio enim est, quia cum omnes conveniant in illo-universali, peccatum mortale esse, quod graviter lædit charitatem, vel quod difforme est rectæ rationi; non tamen, (ut sunt hominum diversa ingenia, convenire omnes possunt, An hoc, de quo controvertitur, graviter lædat, An huic peculiari actioni gehenna à scriptura comminetur, ab Ecclesia sic discernatur, An lædantur graves virtutes, An adsit excusatio, per quam mortale transcat in veniale, &c. Et doctus quidem, atque discretus melius resolveret, quam indoctus & imprudens: ille enim cordatè scripturam intelligit, ac doctores, rationesque expendit: hic ab obvia quæpiam autoritate, vel simulata ratione ductus, imprudenter pronuntiat. Verum ne inter hos posteriores connumeretur, faciens (Deo aspirante) ea, quæ in his opusculis differemus.

§. III. De veniali per accidens.

1. **M**ortale transit in veniale potest per accidens tribus ferè ex capitibus. Primò, ex parvitate mate-

ria. Secundò, ex imperfectione actus. Tertiò, ex aliqua causa excusante. Jam de singulis.

De Veniali ex parvitate materia.

2. Qua ratione, quod est ex genere suo mortale, abeat aliquando, ex parvitate materia in veniale, non obvium est cuique discernere: nam propterea sit huiusmodi regula, (Legit Sanchez lib. 1. in dec. c. 4. n. 1. Suar. d. leg. lib. 2. c. 28. n. 2. Bonac. d. 1. de pecc. q. 3. p. 3. n. 1. Castro P. tom. 2. l. 1. d. 2. q. 7. n. 1. Merollam l. 1. d. 1. l. 4. q. 30.)

3. Quoties ratio malitiae gravis, seu offensio gravis contra charitatem Dei, vel proximi, (quod alij, & rectè quidem dicunt, contra rectam rationem) invenitur in materia parva æque ac in magna, toties perstat mortalis, & non inesse mortalis, etiam in materia quantumvis parva, secus transibit in veniale. Ratio est manifestata: quia malitia peccati mortalis consistit in gravi offensione, si ergo hæc invenitur in aliqua materia etiam levi, semper erit mortalis, si non invenitur, non est, unde sit pronuntianda mortalis.

4. Sed quando id erit vel illud? non potest id melius explicari, quam per aliquam discurrendo in quibus quæcunque posita vel levi materia, gravis formaliter offensio reperitur.

5. Dico igitur eam reperiri primò in actionibus, quæ immediate, & rectè contra Deum versantur, ut in odio Dei, contemptu ejusdem, blasphemia, infidelitate, in peccatis contra spem Theologicam, &c.

Quare quodcumque modicum odium, contemptus, &c. erit culpa mortalis. Ratio est, quia in his (ut ex maiestate Dei patet) etiam in quacunque parvitate gravis apparet contra rectam rationem deformitas.

6. Dixi immediate & rectè, nam contemptus indirectus, ut, v. g. contemptus in rebus Dei sacris, videtur posse habere parvitatē; sicut perpendit Sorus in 4. d. 1. q. 1. art. 8. §. si autem, si eo contemptu, quo quis in consecratione calicis pronuntiare omiseret illud (enim) ut nos explicuimus in opusculo de sacrif. Missæ lib. 2. c. 5. §. 2. n. 3. vel in eo qui jocose diceret aliquid leve de sanctis, quo homines sunt, ut sanctum Crispinum fuisse tutorem, &c. De quo Sanchez lib. 2. in dec. c. 3. n. 4. Hæc enim mediata ad Deum pertinentia, quando sunt modica, non videntur gravem deformitatem continere, cum eundem Dei reverentiam graviter nequaquam violent.

7. Secundo, reperitur gravis semper offensio in perjurio assertorio. Ita Castro P. l. c. Sanchez lib. 1. in dec. c. 4. num. 1. Semper enim apparet grave, infirmare Deum testem mandacij, quamvis levissimè: ei enim sic tribuitur posse mendacium approbare. Non autem reperitur semper in iuramento promissorio, vel in voto, quando cum fuerit tibi animus illa observandi, deinde non observas; tunc enim non observare erit veniale, si res promissa sit levis, ut infra lib. 3. c. 3. de jur. §. 3. n. 4. ex probabilissima sententia disputabimus.

8. Tertiò, reperitur eadem semper gravis offensio in magia & superstitione, quæ est de pæcto expresso cum deificatione, quia semper malum grave est pacisci cum hoste Dei, & hominum infestissimo. Legit Merollam, l. c. num. 112. Vide nihilominus quæ dicam infra lib. 3. c. 6. §. 1. de superstitione n. 46.

9. Quarto, reperitur item in Simonia ex iure divino, per quæ datur pretium temporale pro re spiritali. Ita Sanchez, Castro Palaus l. c. Merollam diff. 1. Semper enim gravis est irreverentia quæcumque rem sacram temporali pretio quamvis modico æqualem, ipso facto emptionis, proferitur: quæ gravis irreverentia non apparet, saltem semper, in simonia jure Ecclesiastico prohibita, ubi res emptæ est temporalis, seu de temporalibus participat. Hujus posterioris generis est officium, verbi gratia, æconomi, sacristæ, quando aliquid parvum datur pro eo consequendo.

10. Quintò, reperitur in re veneratè, deliberatè quaesita, Ita Merolla l. c. diff. 1. quia omnis delectatio libidinis